

28. Neuter recēdere vult (cap. I-XXIII)

Lēander, servus Iūlii, postquam in forō Tūsculānō piscēs et ōva ēmit, viam angustam intrat quae ā forō ad portam oppidī dūcit. In eā viā dominō Cornēliō occurrit, quī equō vehitur ad forum. Lēander ipse ā forō vehitur asinō. Necesse est utrumque cōsistere, nam nimis angusta est via. Sed neuter eōrum, nec dominus nec servus, recēdere vult.

Cornēlius vultū sevērō servum aspiciēns “Heus tū, serve!” inquit, “Cēde mihi! Iubē asinum tuum ad forum revertī!”

Ad hoc Lēander, quī scit asinum suum pāritūrum nōn esse, “Asinus meus” inquit “mihi hoc iubentī nōn pārebit. Prōcēdere vult, recēdere nōn vult! Atque ego iam procul absum ā forō. Tū redī ad portam!”

At dominus irātus “Profectō” inquit “nōlō tibi, sordidō servō, cēdere! Nisi tū mihi cēdis, hōc baculō tē et asinum tuum verberātūrus sum!” Cornēlius dicit ‘sē servum et asinum eius verberātūrum esse’ ac sōlus adversus Lēandrum accēdit baculum ante sē tenēns.

Tum vērō asinus rudere incipit: “Hīāhīāā...!” Turpissimā asinī vōce territus equus in pedēs posteriōrēs surgēns sē vertit atque ē locō fugit. Asinus cum Lēandrō equum currentem sequitur neque Cornēlius eum retinēre potest.

Rubēns ob pudōrem Cornēlius redit ad equum suum, quī intrā portam dominum exspectat.

29. Redit Sextus (cap. I-XXIV)

Hōra septima est. Eā hōrā Cornēlius ambulātum ire solet antequam lavātum it, sed hodiē propter imbrem et tonitrum ambulāre nōn potest. Domī manet apud uxōrem suam Fabiam, quae in ātriō Sextum filium exspectat.

Fabia: “Sextus ante hōram septimam redire solet. Quid eum agere putās?”

Cornēlius: “Per hunc imbrem ac tonitrum ambulāre nōn potest. Putō eum sub tēctō exspectāre dum tonitrus dēsinet.”

Tandem iānua aperitur et Sextus ātrium intrat. Parentēs vērō filium suum vix cognōscunt, nam faciēs puerī cruenta est atque vestis eius sordida.

“Salvēte, pater et māter!” inquit puer.

“Ō mī fili!” inquit māter cruōrem cōspiciēns, “Quid tibi factum est?”

Sextus: “Pugnāvī cum Mārcō et Titō. Ii mē pulsāvērunt, postquam ego Mārcum pulsāvī.”

Fabia: “Cūr tū Mārcum pulsāvistī?”

Sextus: “Quia ille dīxerat ‘mātre meam fēminam turpem esse!’”

Cornēlius: “Quid? Itane dīxit ille puer improbus?”

Sextus: “Nōn iis ipsīs verbīs. Dīxit ‘suam mātre fōrmōsissimam esse’ ac ‘mātre meam sine ōrnāmentīs fōrmōsam nōn esse.’ Postea mē ‘puerum barbarum’ vocāvit, quod eum pulsāveram.”

Cornēlius: “Profectō nōn sine causā Mārcum pulsāvistī, quia mātrī tuae male dīxerat! Nam māter tua fōrmōsior est quam māter Mārcī, etiam sī illa plūra et pulchriōra ōrnāmenta habet. Nec tū puer barbarus es, sed doctior Mārcō.”

Sextus: “Certē nōn tam indoctus sum quam ille: rēctius et pulchrius scribō ac melius computō. Magister mē laudāvit quod rēctissimē et pulcherrimē scripseram atque etiam assem mihi dedit quod optimē computāveram.” Sextus assem prōmit et parentibus ostendit.

Fabia: “Gaudēmus tē optimum discipulum esse. Nōn modo laudem, sed etiam dōnum meruistī. Ostende nōbīs litterās tuās quae laudātae sunt ā magistrō!”

Sextus prōmit tabellam, quam suam esse putābat, eamque parentibus ostendit.

Cornēlius tabellam spectāns mīratur litterās foedās ac difficilēs lēctū esse. “Quidnam hoc est?” inquit, “Num magister hās litterās laudāvit?”

Sextus: “Immō ‘litterās foedās esse’ dīxit, sed hae litterae ā Mārcō scriptae sunt. Iam intellegō Mārcum tabulās nostrās mūtāvisse inter pugnam. Is meam tabulam sūmpsit – mīror eum assem meum nōn sūmpsisse!”

Fabia: “Mārcus multōs nummōs ā patre suō dīvite accipit.”

Sextus: “Rēctē dīcis: is multōs nummōs habet – ac nescit numerāre pecūniam suam! Ego ūnum assem habeō ac sciō quattuor assēs facere sēstertium et quattuor sēstertiōs dēnārium.”

Cornēlius: “Quot assēs faciunt quattuor sēstertiī?”

Sextus: “Sēdecim scilicet. Hoc idem magister nōs interrogāvit. Sed id quod mē interrogāvit multō difficilīus erat. Ecce exemplum: Quot dēnāriōs faciunt duodēquīnquāgintā sēstertiī? Tū mihi respondē, pater!”